



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Continens Armamentarium Seu Panoplima Spiritualem - Id est, Varia arma
& media ad omnis generis tentationes fortiter sustinendas, & feliciter
superandas, Ad Omnium Quidem Animarum

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1688

Tent. II. Circa varietatem afflictionum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48377)

tentatione securitas, non possint esse securi; multos enim à pernicioſa elatione reprimi, quod ait Apoſtolus: Quapropter qui videtur ſtare, videat, ne cadat.

IV. Tertio illi ſimilitudines à Chriſto de Zizania bono ſemini commixtis; item de ſagena miſſa in mare, & ex omni genere piſcium congreganti proponat; ex his enim facile colliget, non fruſtra Deum permittere, ut reprobi & mali cum bonis & electis conjungantur, nimirum ut ſuo tempore & ipſorum Electorum innocentia coram toto mundo magis eluceſcat, & ipſius etiam DEI Juſtitia, miſericordiaque magis, clariuſque pateſcat.

V. Quarto eidem exemplum Hortulanorum obiciat; an non enim hi ſpinas in hortis ſuis tolerant, ut pulcherrimæ, ſaluberrimæque roſæ inter eas nalcantur; quid ergo mirum, ſi & DEUS peritiſſimus Hortulanus in horto Eccleſiæ ſuæ ſpinas & tribulas perverſorum hominum verſari permittat, ut purpureæ Martyrum Roſæ, & candentia Virginum lilia inde tanto copioſius enaſcantur.

§. II.

Tentatio II. Circa varietatem afflictionum.

VI. **L**Ydwina honeſta Matrona, graviffimis tribulationibus morbis & pauperie preſſa fatetur Confefſario ſuo, ſe graviffimè nonnunquam tentari, dum aliis, licèt vitam peſſimam ducentibus, omnia proſperè & ad votum fluere, ſe verò ſuique ſimiles DEO ſincerè ſervire cupientes variis calamitatibus opprimuntur, tantumque non obrui advertit. Quæritur, quomodo hæc ei tentatio ſit eripienda?

R.

Responſio.

VII. Inprimis illi ostendatur, hanc ipsam tentationem jam olim S. Davidem fuisse passum, uti ipsemet Ps. 72. faterur dicens: *Mei autem penè moti sunt pedes: penè effusi sunt gressus mei. Quia Zelavi super iniquos pacem peccatorum videns: quia non est respectus morti eorum; & firmamentum in plaga eorum.* Quomodo autem ab hac tentatione ereptus sit, indicat ibidem, dum ait: *Existimabam, ut cognoscerem hoc, labor est ante me, & intelligam in novissimis eorum.* Utatur ergo & ipsa hoc medio, & haud dubiè pariter à tentatione liberabitur.

VIII. Secundò objiciat illi exemplum Christi, B. V. & sanctissimorum quorumvis hominum, quæratque, an non ipsi potiori jure hanc querelam movere potuissent; nec tamen fecerunt, haud ignari videlicet, tantò se DEO chariores & gratiores esse, quantò plura & gratiora pro ipso pertulerint, uti Angelus Raphaël Tobiaë cap. 12. dixit: *Quia acceptus eras DEO, necesse fuit, ut tentatio probaret te.* Hinc & Apostolus Rom. 8. dixit: *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit primogenitus in multis Fratribus,* qui per tribulationes patienter toleratas veros quoque Dei Filios se ostendunt. Et S. Macarius hom. 15. dixit: *Ea est Christianæ Religionis via, ut, ubi est Spiritus Sanctus, ibi statim sequatur conflictus & persecutio; nam statim à cruce spiritus Paracletus transivit ad Christianos.*

IX. Tertio ostendatur, hoc indicium esse magni profectûs in virtute & perfectione, ut jam olim Seneca lib. de prov. indicavit dicens: Hanc rationem

nem Dii sequuntur in bonis viris, quam in Discipulis suis Præceptores, qui plùs laboris exigunt ab his, in quibus certior spes est. Dicant ergo ipsi: digni vili sumus DEO, in quibus experiretur, quantum natura humana posset pati. Optimi milites ad durissima mittuntur; nec tamen quisquam dicere audeat: Dux malè de me meruit, sed: Bene de me sensit.

X. Quartò illi narretur, quod Christus S. Gertrudi, cùm valde turbata esset, dixit: Ne contristare, delector enim tuâ cohabitatione, ideo ut mecum maneat, mitto tibi amicos (& alias res) contrarios, ut, dum in nulla creatura fidelitatem reperis, ad me pleniùs recurras. Facit nempe DEUS, quod is, qui avem in cubiculo circumvolantem capere vult, ideòque nullibi quiescere finit, donec fatigata se in manus tradat.

XI. Quintò aliud S. Chrysoctomi monitum proderit significâsse, quod hom. 54. in Matth. suggerit dicens: *Quos ante mundi constitutionem suos esse cognoscit DEUS, tantis eos laboribus onerat, & tandem laborare facit, donec digni efficiantur regno caelorum. Quosdam itaque propterea affligit, ut interim contemptum persuadeat temporalium, & pretiosos sibi faciat meritorum censu patientiâ, & gratiores confidentiâ divini auxilii.*

